



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

56. An commendatarii D. Ioannis, D. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, &c.
possint disponere de redditibus Ecclesiasticis ad libitum sicut de bonis
patrimonialibus sine fractione voti paupertatis? Ex p. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

RESOL. LVI.

An commendatarij D. Iohannis, D. Iacobi, Alcantara, Calatrava, &c. possint disponere de redditibus Ecclesiasticis ad libitum sicut de bonis patrimonialibus, sine fractione voti paupertatis? Ex p. 5 tr. 14. & Misc. 2. Ref. 94.

Sup. hoc in Ref. præterea, & in Ref. seq. & supra in Ref. 54 attingente legem duas primas lin.

§. 1. **N**egatiuè respondet Mota in lib. *Instructio-* nis, & commendatarij tendant ad perfectionem, cap. 4. §. 4. num. 10. Nauarr. lib. de reddit. *quæst.* 1. num. 95. & 96. & *quæst.* 3. num. 30. & 31. & Ayala in *compend. Ord. milit.* quem citat & sequitur Emanuel Rodríguez in *99. Reg. tom. 2. quæst.* 57. art. 5. & ex parte Azorius *tom. 1. lib. 2. cap. 4. q. 10.* & ratio est, quia sunt Religiosi, & voto paupertatis adstricti, & quia redditus Commendarum sunt redditus Ecclesiastici, ergo, &c. Igitur hi Doctores tenent hos Equites esse in obligatione expendendi in operibus piis totum id, quod superest de congrua sustentatione.

2. Verum ego puto de his bonis posse dictos Equites disponere, ac si essent sæculares, quia antiquissima consuetudo ita paupertatem eorum interpretata est Superioribus scientibus, & non contradicentibus, & redditus Commendarum titulo sæculari his dantur, nempe titulo militari. Et ita docet Sanchez in *sum. tom. 2. lib. 7. cap. 8. num. 29.* & nouissimè Hurtadus de Mendoza in *2.2. tom. 2. disp. 160. sect. 7. §. 119.* vbi etiam §. 120. loquens de Equitibus D. Iohannis, sic ait. Licet Milites S. Iohannis nuncupent solemne paupertatis votum, (de quo nunc non disputo) adhuc possunt pro suo arbitratu vti Commendis sine violatione voti: quia licet in solemnitate sit votum perfectum, ac non tam perfectum ex parte obiecti, quam votum Clerici Regularis, aut Monachi, videntur enim paupertatem iuxta suam regulam, quæ paucis in rebus eos obstringit; est enim laxa, quia est regula Militum nobilium, quos non expedit illaqueare minutis præceptis, sed nonnullis, & laxioribus, quibus obseruetur virtus in militia, eamque ob causam illæ Commendæ sunt à Pontifice donatæ Militibus. Ita Hurtadus, & ego.

RESOL. LVII.

An Equites Ierosolymitani, & alij Religiosi Ordinum Militarium valide aliquid exponant ludo?

Et an sint obnoxij restitutioni lucrantes dictos Equites?

Et an supradicti Equites peccent contra paupertatem exponentes aliquid ludo vel expendentes in alios vsus illicitos, nec Superiores, nec consuetudo Ordinis possit ad id facultatem validam facere? Ex part. 7. tr. 9. Refol. 17.

Sup. doctrina contenta in principio huius Ref. in duabus præcedentibus Ref. & pro prima, & principali dicitur huius Ref. signanter in Ref. 2. huius not. §. Ex his, & in Ref. 1. not.

§. 1. **A**d hoc dubium ita respondet Dicastil. lib. 2. *trac. 18. dispur. 5. dub. 8. num. 55.* Quod attinet ad Religiosos Ordinum Militarium. In primis de Equitibus nobilibus, iam diximus illos absolute esse veros dominos suorum bonorum, & votum paupertatis illorum, consuetudine ita esse interpretandum, vt possint in his ludis bona infumere. Non defuere tamen viri graues, & docti ex nostra Societate, qui & in communibus conferentiis, & de hac re consulti, existimauerint eiusmodi Religiosos habentes liberam dispositionem, & administrationem bonorum, posse ea expendere in vsus conue-

nientes suo statui, scilicet statui Religiosorum nobilium, & heroum; quia hoc modo tantum videretur paupertatem non stricte, sicut alij Religiosi. Simul tamen existimauerunt prædicti si ea bona expendant in vsus illicitos, & indecentes suo statui, videri peccare contra paupertatem, quia iuxta dicta eadem ad id facultatem validam facere. Quæ sententia facta ad id facultatem validam facere, quæ sententia facta probabilis est, eamque tenent non pauci, quos refert Thom. Sanchez. lib. 7. *Moral. cap. 8. num. 19.* Probabilis tamen est, quod ibi diximus, tum quia antiquissima consuetudo ita paupertatem eorum interpretata est, neque ad amplius tendendi sunt le vota obligate, quam quod in eorum Ordinibus habent consuetudo. Reddunt autem commendarum, quoniam uis alicui videantur bona Ecclesiastica, & absolute ita censerentur, ac proinde iuxta opinionem aliquorum, aut peccato mortali subiecta si ludis indecentibus, aliique similibus rebus expendantur, aut etiam restitutioni obnoxia, vt multi putant vniuersim de bonis Ecclesiasticis; probabilis tamen est titulo sæculari, nempe militari, illis concedi redditus Commendarum. Ita Dicastillus.

Sed circa præsentem quæstionem ne deteras recognoscere meipsum in *part. 2. tractat. 15. refol. 14.* vbi satis probabiliter firmavi lucrantes à dictis Equitibus non esse obnoxios restitutioni.

RESOL. LVIII.

An Religiosus, qui habet licentiam à Superiore generalis expendendi pecuniam, vel donandi aliquid, hanc expendat in vsus illicitos, peccet contra votum paupertatis, & recipientes teneantur ad restitutionem.

Et hoc etiam frequenter potest accidere in Equitibus Ierosolymitanis.

Et an Superior supremus, vel totus Conuentus non possit concedere facultatem illam, vt in vsus illicitos expendat Religiosus pecuniam? Ex p. 7. tr. 11. & Misc. 2. Ref. 22.

§. 1. **A**firmatiuam sententiam post Molinam, & Sanchez, Lessium, & alios tenet nouissimè Ioann. Dicastillo de *iust. & iur. lib. 2. tr. 2. disp. 6. dub. 1. n. 26.* quia non est præsumendum Superiorem concessisse facultatem in vsus illicitos. Item quia dicendum est non posse vllum Superiorem etiam in premissis, nec totum conuentum concedere facultatem illam.

2. Sed quia hæc opinio frequenter potest contingere in Equitibus Hierosolymitanis, ego propter difficultatem in restituendo olim asserui probabilem esse opinionem aliquorum Doctorem asserentium in tali casu religiosum non peccare contra votum paupertatis, nec recipientes ad vllam restitutionem teneri, scio alios quos contra me obmurmurasse, sed immerito, nam præter DD. alibi à me pro hac sententia relatos, nouissimè me citato tanquam probabilem illam tuerentur Cardin. Lugo de *iust. & iur. tom. 1. disp. 3. sect. 7. dub. 1. n. 42.* Et reddit rationem; Quia in aliis materiis licentia generaliter concessa non intelligitur limitari ad solos vsus, vel casus aliunde non turpes, nec illicitos, sed in iis etiam aufert malitiam, quam posset habere ex defectu talis licentiae, quamvis remaneat turpiter, & malicia ex alio capite; ergo cum Prælati vniuersaliter concedit licentiam expendendi ad vsus, non est cur præsumatur limitare licentiam ad vsus solum aliunde non illicitos, sed potius velle aufere impedimentum ex parte sua quantum potest.

3. Nec obstant argumenta adducta pro contraria sententia.